

præferunt; v. c. de Aduentu suo altero, glorioso, CHRISTVS bis, (Apoc. c. vlt. v. 7 & 12) testatur: ἰδὲ ἔρχομαι ταχύ.

וְעַלְמָה VIRGO. Singularem emphaticam ac demonstrandi vim habet h. l. ה, quo Spiritus S. κατ' ἐξοχήν quasi notat indice digito illustrem illam feminam, quæ Gen. III, 15. memoratur. וְעַלְמָה vero Virginem immaculatam, bene asseruatam, occultatam a congressu viri, siue, quæ nondum contracto matrimonio paternas ædes reliquit, designat; quod apparet (1) *E vocis origine*, cuius radix in Kal וְעַלְמָה apud Hebræos est inusitata; Chaldæis vero in Niph. נְעַלְמָה vsitata, & significat latitauit, abditum, occultum, absconditum fuit. Consule Iob. XXII, 21. Psal. XXVI, 4. &c. vnde descendit Masculinum וְעַלְמָה Adolescens, puer adultus, qui domi sub Parentum cura latitat 1. Sam. XVII, 56. & Femininum וְעַלְמָה, de quo h. l. (2.) Patet hæc significatio *e continuo S. Scriptura*, in qua septies legitur, *vsu*. Usurpat autem Scriptura S. hoc nomen semper de casta Virgine, vt Gen. XXIV, 43. de Rebecca, de qua Spiritus S. v. 16. testatur, quod & ætate & conditione Virgo fuerit; Exod. II, 8. de Miriam, Sorore Mosis, quindecim annorum, dicitur. Psal. LXIX, 26. in plurali de Virginibus tympanizantibus, seu DEVM instrumentis Musicis celebrantibus. Cant. I, 3. quo loco Sponsa CHRISTI appellatur וְעַלְמָה. Eo ipso Cantico, Cap. VI, 7. vbi a Reginis & Concubinis, tanquam a nuptis, innuptæ secernuntur. Denique hæc ipsa vox in Vaticinio nostro Prophetico (eum enim, qui Prou. XXX, 19. exstat, locum, a Iudæorum ψευδεσμνησία in ipso conflictu vindicabimus) eo ipso occurrit significatu. Quod adstruo ex facili, præter allata: a. *È Scopo Vaticinii*, qui fuit, collapsio Israël, & ad incitas iam redacto, adeo vt nulla salutis spes superesse amplius videretur,